



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Catechesis Pverilis**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiae, 1543**

**VD16 M 2628**

Quomodo fit hoc praeceptum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33561**

ordinatio distinctionis dominiorū. **E**contrā prohibet omnia uitia pugnantia cum hac ordinatio-  
ne, furta, rapinas, iniustos contractus, & qua-  
lescunque expilationes priuatas et publicas, men-  
dicitatem non necessariam, negligentiam in cu-  
randis facultatibus nobis commissis, prodigali-  
tatem & profusiones & sumptus inutiles, corru-  
ptelas, quibus emuntur patrocinia in malis cauf-  
sis, mercedes iniustas, imposturas in mercib. etc.  
**N**ec tantum exteriora facta prohibentur, sed  
etiam interiora uitia, auaritia & omnis cupidi-  
tas iniusti lucri & τωλεοντημάτωρ, tenacitas  
in dandis necessarijs eleemosynis, in iuuanda ec-  
clesia & republica. **P**ostremò & naturalis con-  
cupiscentia repugnans huic præcepto. **H**æret e-  
nim in animis hominum diffidentia, qua sit ut nō  
expectent homines uictum & cætera commoda  
uitæ à **D**eo. **I**nde oritur sollicitudo de uictu &  
fortunis, quæ impellit homines ut appetant alie-  
na, ut insidentur alieno, et quoquo mō querant.  
**I**taque accusat & hoc præceptum omnes homi-  
nes, & erumpit concupiscentia adeo, ut mundus  
plenus sit furtorum, id est, iniistorum aucupio-  
rum, iniistorum contractuum, rapacitatis, & si-  
milium uitiorum.

**Quomodo** fit hoc præceptum?

S

C

**C**um agnoscimus nostram infirmitatem, & fide credimus nobis propter Christum remitti peccata, fit hoc præceptum cum inchoatur obedientia, uidelicet cum petimus & exspectamus ex Deo uictum & fortunas, & simul iuxta mandatum Dei laboramus, & iustè parto utimur, & propter timorem Dei cauemus illicitos modos querendi res. Item damus de nostro necessariis eleemosynas propter mandatum Dei, iuuamus quantum possumus de nostro ecclesiam, uidelicet ministros euangelij, & studia. Item rem publicam. Hic magna consolatio est pijs, intelligere, quod hæc obedientia Deo placeat, & quod hæc ipsa œconomica officia, id est, diligentia parandi facultates, & legitimus usus earum, sunt cultus Dei.

Licet ne Christianis tenere proprium, & esse diuites?

**L**icet tenere proprium & habere diuitias, sicut multæ sententiæ testantur. Paulus ad Timoth. ait, Præcipe diuitibus ne superbiant etc. Non igitur prohibet esse diuites. Et in genere tenenda est regula, quod euangelium non aboleat politicas ordinationes. Pertinet autem & distinctio dominiorum ad politicas ordinatio nes.